

studia occupant, vento temptationis impulsus Ecclesiae oculos pulvis caecat. Quo contra recte humani generis Redemptor, cum nos a ventris voracitate compesceret, dicens: attendite autem vobis, ut non graventur corda vestra in crapula et ebrietate; illico adjunxit: aut in curis hujus vitae. Ubi pavorem quoque protinus intente adjiciens: ne forte, inquit, superveniat in vos repentina dies illa. Cujus adventus etiam qualitatem denuntiat, dicens: tamquam laqueus enim veniet super omnes qui sedent super faciem omnis terrae. Hinc iterum dicit: nemo potest duobus dominis servire. Hinc Paulus religiosorum mentes a mundi consortio contestando, ac potius conveniendo suspendit, dicens: nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit. Hinc Ecclesiae Rectoribus et vacandi studia praecipit, et consulendi remedia ostendit, dicens: secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. Ac si apertius dicat: quia penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operentur. Hinc Moyses, qui cum Deo loquitur, Jethro alienigenae reprehensione judicatur, quod terrenis populorum negotiis stulto labore deserviat: cui et consilium mox praebetur, ut pro se alios ad jurgia dirimenda constituat, et ipse liberius ad erudiendos populos spiritualium arcana cognoseat.

A subditis ergo inferiora gerenda sunt, a Rectoribus summa cogitanda: ut scilicet oculum, qui praevidendis gressibus praeeminet, cura pulveris non obscuret. Caput namque subjectorum sunt cuncti qui praesunt; et ut recta pedes valeant itinera carpere, haec proculdubio caput debet ex alto providere, ne a proiectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis caput sese ad terram declinat. Qua autem mente animarum praesul honore pastorali inter ceteros utitur, si in terrenis negotiis quae reprehendere